



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 79. Vtrum prædestinatio, ac reprobatio ex parte actus diuini, vel ex
parte effectuum cadant, vel possint cadere sub meritum, vel demeritum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

to mortali, ac sic permittendi, ut moriantur in peccato mortali; prauisionem mortis in peccato mortali; ac demum reprobationem positivam, seu voluntatem miseros illos æternis supplicijs addicendi.

8. Respondeo, quod possumus hos actus in Deo distinguere ex nostro modo concipiendi, sed ita, ut corrigentes modum imperfectum concipiendi, asseramus Deum hæc omnia simul, & in eodem signo decernere, non autem ita, ut vnum decernat prius, aliud posterius, & ut decernendo vnum ex his, maneat veluti suspensus ad alia decernenda, ac decretum circa illa differat in aliud signum. Sicut ergo in Deo distinguimus ratione nostram sapientiam, bonitatem, iustitiam, misericordiam, sed ita, ut corrigentes nostrum modum concipiendi asseramus hæc omnia in Deo totaliter identificari; sic licet in Deo distinguamus plures actus, debemus modum concipiendi corrigere, & asserere Deum hæc omnia simul decernere. Addo Suarium Tomo 2. de Gratia, cap. 53. num. 20. expressè docere ordinem intentionis in Deo solum nostro modo intelligendi distingui ab ordine executionis, licet Deus vno actu indivisibili omnia decernat, ac proinde non videri contrarium nostræ sententiæ.

10. Confirmatur, nam si Deus in eo signo, in quo eligit ad gloriam omnes prædestinatos, præcisiuè se habet ad alios, ac illos positiuè non excludit à beatitudine, sed remanet indifferens ad illos in signis posterioribus efficaciter eligendos, cur deinde contingit, ut nullum eorum ad beatitudinem efficaciter eligat, nulli det finalem perseverantiam in gratia, sed omnes permittat finaliter perseverare in peccato mortali, ac deinde positiuè reprobet? ergo signum est, quod Deus in eo signo, in quo eligit omnes prædestinatos, præcisiuè, & indifferenter se habeat ad omnes reprobos.

11. Ad 1. concedo maiorem, & distinguo minorem; Deus neminem vult æternis supplicijs addicere, nisi propter peccata absolutè præuisa in eodem signo, concedo; in signo priori, nego; & nego consequentiam. Ut Deus velit addicere æternis supplicijs propter peccata absolutè præuisa, sufficit, ut illa prævideat in eodem signo, non requiritur, ut prævideat in signo priori; sed Deus in eodem signo, in quo vult permittere peccata reprobis, prævidet illos finaliter peccaturos; ergo.

12. Ad 2. distinguo maiorem; eatenus Deus potest prædestinare ad gloriam, absque eo quod ante præviderit merita, quatenus prædestinando, potest per auxilia gratiæ præcisè facere, ut prædestinatus mereatur gloriam, nego; quatenus per auxilia gratiæ potest præcisè facere, vel permittere, ut prædestinatus mereatur gloriam, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Si fingamus, quod Deus per auxilia gratiæ non

posset facere, sed solum permittere, ut quis mereatur gloriam, & videret, quod si hoc permitteret, ille mereretur gloriam, posset illum prædestinare ad gloriam, absque eo quod ante prævidisset merita absolutè, sed solum conditionatè; sed Deus dando auxilia, cum quibus videt aliquos finaliter merituos æterna supplicia, potest permittere, ut illi mereantur æterna supplicia; ergo potest illos velle damnare ad æterna supplicia propter demerita, absque eo quod illa præviderit absolutè.

13. Ad 3. Augustinus docet Deum posse aliquem liberare à peccato, & à massa perditionis, absque eo quod prævideat bona merita, quibus meruerit talem liberationem, eo pacto, quo de facto Sanctum Paulum liberavit à peccato infidelitatis, absque eo quod præcesserint bona merita, cum præcesserint mala merita; siquidem immediatè ante liberationem persequeretur Ecclesiam Dei; at neminem potest damnare, absque eo quod damnationem præcedant mala merita. Hoc autem totum nos concedimus. At non dicit Augustinus ante ipsam voluntatem damnandi debere præcedere præscientiam absolutam meritorum. Similiter Augustinus dicit Deum, quia bonus est, dare bona pro malis præcedentibus, eo pacto, quo Sancto Paulo pro malo præcedente infidelitatis, & persecutionis Ecclesiæ dedit bonum conversionis, & iustificationis; at nemini dare mala pro bonis, ita ut merenti bonum salutis e. g. det malum damnationis, quod totum nos concedimus, ac solum dicimus, quod ut Deus alicui velit dare malum damnationis, sufficit, ut in eodem signo prævideat præcessurum malum peccati finalis, ac merita ipsius damnationis.

QVÆSTIO LXXIX.

Utrum prædestinatio, ac reprobatio ex parte actus diuini, vel ex parte effectuum cadant, vel possint cadere sub meritum, aut demeritum?

S. Th. q. 23. a. 5.

1. **P**rimò videntur adulti prædestinati mereri suam prædestinationem. Qui enim potest impedire suam prædestinationem, & illam non impedit, meretur suam prædestinationem; sed adulti prædestinati possunt non perseverare usque in finem, & sic impedire suam prædestinationem, & perseverando usque in finem, illam non impediunt; ergo.

2. Secundò videntur à fortiori reprobis mereri suam reprobationem. Nam qui potest impedire suam reprobationem, & non impedit, meretur suam reprobationem; sed adulti reprobis non peccando finaliter, possunt impedire suam reprobationem, & dum finaliter peccant, illam non impediunt; ergo.

3. Ter.

3. Tertiò merita finalia vt conditionatè præuisa sunt causa, vt Deus prædestinet: demerita finalia vt conditionatè præuisa sunt causa, vt Deus reprobet; ergo merentur prædestinationem, & reprobationem.

4. Respondeo, quod ex dictis quæstione 58. actus liber voluntatis, quo Deus prædestinat, & reprobatur, identificatur cum diuinæ essentia omnino necessaria, sed applicatur per applicationem non necessariam extrinsecam Deo. Certum igitur est prædestinationem, in quantum est actus identificatus cum diuinæ essentia, non posse cadere sub meritum, vel demeritum. Solum igitur queritur, vtrum applicatio contingens, qua vltimò compleretur prædestinatio, ac reprobatio, & effectus prædestinationis, ac reprobationis possint cadere sub meritum, vel demeritum.

5. Dicendum primò: prædestinatio, ac reprobatio ex parte actus diuini vt liberè applicati non possunt cadere sub meritum, neque sub demeritum.

6. Probat: nam meritum sicut non potest mereri se ipsum, sic non potest mereri, vt Deus velit ponere ipsum meritum, vel auxilia, per quæ ponatur ipsum meritum, ideoque est axioma commune, quod principium meriti non potest cadere sub meritum; sed vt dictum est quæstione 77. numer. 13. prædestinatio est actus, quo Deus vult prædestinatis dare salutem, & omnia merita, & vniuersim omnia beneficia, per quæ videt, quod certissime saluabuntur, ac proinde prædestinatio est primum principium omnis meriti; ergo prædestinati non possunt mereri suam prædestinationem, ac prædestinatio non potest cadere sub meritum. Ex proportionali ratione sicut demeritum non potest mereri se ipsum, sic non potest mereri, vt Deus velit permittere ipsum demeritum, ac proinde nemo potest mereri negationem gratiæ, ex qua sequatur ipsum demeritum; sed reprobatio est voluntas permittendi omnia demerita, negando gratiam, ex qua vitarentur; ergo &c. Huc spectant verba Apostoli ad Romanos 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni, vel mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: quia nimirum neque prædestinatus meretur prædestinationem, quæ appellatur dilectio, neque reprobatus meretur reprobationem, quæ vocatur odium.*

7. Dices: merita, ac demerita vt conditionatè præuisa per scientiam mediam possunt Deum mouere ad hoc, vt velit illa absolute ponere, vel permittere; sed hoc sufficit, vt merita, ac demerita conditionatè præuisa merentur se ipsa vt absolute ponenda; ergo &c.

8. Respondeo, distingo maiorem: merita, ac demerita vt conditionatè præuisa possunt Deum mouere in ratione causæ meritorie ad hoc, vt velit ponere ipsum meritum; nego: possunt mouere in ratione finis, & obie-

cti, concedo maiorem; nego minorem, & consequentiam. Finis qui, & meritum habent oppositum modum cauendi. Nam finis qui cognitus vt possibilis, & vt conditionatè futurus, si ponantur media, mouet ad volendum absolute ponere ipsum finem, & media effectiua finis: e. g. sanitas cognita vt possibilis, & vt absolute ponenda, si ponantur media, mouet ad volendum ponere absolute ipsam sanitatem, & media effectiua sanitatis, & in ista motione, qua finis mouet ad ponenda media, vt finis sit, consistit causalitas finis. Meritum è conuerso cognitum vt absolute ponendum mouet ad ponendum præmium, & causalitas meritoria consistit in hoc, vt præmium ponatur, quia meritum videtur absolute existens; sed merita cognita vtabilia, & vt conditionatè ponenda mouent Deum ad volendum absolute ponere ipsa merita, & auxilia gratiæ, quæ causent ipsa merita, quæ auxilia dantur, non quia merita sunt, sed vt merita sint; ergo merita vt conditionatè præuisa possunt causare finaliter suam existentiam absolutam, & media hoc est auxilia gratiæ, sed non possunt causare meritorie suam existentiam absolutam, & auxilia gratiæ.

9. Confirmatur: nam vt merita causarent meritorie seipsa, & auxilia gratiæ, & voluntate ponendi merita, deberet Deus, quia merita iam sunt, velle ponere ipsa merita, & auxilia ad merendum: sed hoc manifestè implicat; ergo. Proportionaliter vt demerita mererentur voluntatem permittendi ipsa demerita, deberet Deus quia demerita sunt, velle permittere vt sint, siquidem in hoc consistit causalitas demeritoria. Hinc reijcitur error Semipelagianorum, qui vt refert Augustinus lib. 4. de Prædest. Sanctorum cap. 12. & lib. de Bono perseuerantiæ cap. 9. dixerunt merita vt conditionatè præuisa mereri auxilia ad merendum. De ratione enim meriti est, vt quia ipsum absolute est, ponatur præmium, non autem è conuerso detur præmium, vt meritum absolute sit: sed auxilia gratiæ dantur, vt meritum sit, non quia meritum est; ergo meritum causat auxilia gratiæ finaliter, non autem meritorie, ac proinde non meretur, nec potest mereri auxilia gratiæ, quibus ponatur ipsum meritum.

10. Dicendum secundò: effectus totalis prædestinationis non cadit, neque potest cadere sub meritum, sed datur omnino gratis. Probat: nam effectus totalis prædestinationis est collectio omnium beneficiorum, quibus prædestinati consequuntur salutem, & comprehendit omnia merita, & primam gratiam ad merendum; ergo &c.

11. Hinc sequitur, quod neque Christus potuit mereri nostram prædestinationem quoad eius effectum totalem. Ratio est, quia effectus totalis nostræ prædestinationis includit omnia beneficia, per quæ prædestinati saluantur; sed inter hæc beneficia includitur ipse Christus, ipsa incarnatio, & omnia merita

Christi; Christus autem non potuit mereri seipsum, incarnationem, & omnia sua merita; ergo &c. Rursus neque primus effectus partialis prædestinationis potest cadere sub meritum. Probatur, quia primus effectus prædestinationis est prima gratia ad merendum; sed hæc prima gratia non potest cadere sub meritum, cum sit principium omnis meriti; ergo.

12. Dicendum tertio: gloria, & secunda gratia ad merendum potest cadere sub meritum. Probatur; nam gloria cum sit corona iustitiæ cadit sub meritum de condigno, iuxta illud Apostoli secunda ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ*. Rursus per merita antecedentia possumus de congruo mereri gratiā ad obtinenda merita consequentia, etiam finalem perseverantiam, iuxta illud Augustini de Bono Perseuerantiæ, cap. 6. ubi de perseverantia finali dicit. *Hæc Dei donum suppliciter emergere potest, sed cum datum fuerit, contumaciter amitti non potest*.

13. Si quærat, utrum per actus bonos naturales possimus de congruo mereri primam gratiam ad merendum, & ad exercenda opera supernaturalia; respondeo negativè ex dicendis in tractatu de gratia.

14. Dicendum quarto: proportionaliter effectus totalis reprobationis non potest cadere sub demeritum. Probatur; nam effectus totalis reprobationis est tota negatio beneficiorum, per quæ reprobis saluaretur, includens etiam negationem gratiæ, per quam Deus videt, quod reprobis vitaret omnia demerita; sed reprobis non potest mereri totam illam negationem; siquidem non potest mereri negationem gratiæ, per quam vitaret omnia demerita, etiam si per primum demeritum possit mereri privationem gratiæ, per quam vitaret demerita posteriora; ergo &c.

15. Ad 1. nego maiorem. Sicut licet homo possit non mereri, ac proinde possit impedire suum meritum, non sequitur, quod possit mereri suum meritum, alioquin meritum posset mereri se ipsum: sic licet homo possit impedire suam prædestinationem, quæ est voluntas dandi homini omnia merita, non sequitur, quod possit mereri suam prædestinationem. Ratio est, quia sicut meritum non potest mereri se ipsum, sic non potest mereri, ut Deus velit ponere ipsum meritum.

16. Ad 2. nego similiter maiorem. Sicut enim homo licet possit non peccare, ac non mereri, ac proinde possit impedire suum demeritum, tamen non potest peccando demereri ipsum suum demeritum, alioquin meritum mereretur se ipsum; sic non potest peccando mereri, ut Deus permittat illud ipsum peccatum, & demeritum; sed reprobatio est voluntas permittendi omnia demerita; ergo.

17. Ad 3. distingo maiorem: merita finalia, ut conditionatè præuisa sunt causa finalis, ut Deus prædestinet, concedo; sunt causa

meritoria, ut Deus prædestinet, nego; & nego consequentiam. Deus videns merita, & gloriam dandam propter merita, prædestinat ad merita, & ad gloriam, ut sint merita, & gloria, non quia gloria, & meritum sunt; ergo merita ut conditionatè præuisa sunt causa finalis, non autem meritoria prædestinationis, ut magis explicatum est num. 8. & 9. Demerita ut conditionatè præuisa non sunt quidem causa finalis reprobationis, siquidem Deus non reprobat, ut habeat demerita, & damnationem, sed neque sunt causa meritoria reprobationis. Ut enim essent causa meritoria reprobationis, Deus deberet reprobare, quia demerita absolutè sunt; sed non reprobat, quia demerita absolutè sunt; ergo demerita non sunt causa meritoria reprobationis; ergo solum sunt conditio, ut Deus reprobandus, permittat demerita, cum Deus si non prævideret demerita ut conditionatè futura, illa non permitteret, nec posset permittere.

QVAESTIO LXXX.

Utum, & qua prædefinitione Deus prædestinat efficaciter actus liberos honestos creaturarum?

1. **V**idetur Deus non prædefinire, sed solum præscire nostros actus liberos honestos; primo quia Damascenus lib. 2. de Fide cap. ultimo dicit. *Opera pretium est agnoscere omnia præscire Deum, non autem omnia prædefinire, neque prædestinare. Præscit enim ea, quæ in nobis, non autem prædestinat hæc*. Lib. etiam contra Manichæos dicit. *Quæ cum ita sint, Deus ea, quæ voluntariè à nobis futura sunt, hoc est ea, quæ in potestate nostra sita sunt, nimirum virtutem, & vitium præscit, ea demum præfinit, quæ in arbitrio nostro minimo consistunt; ergo iuxta Damascenum Deus actus liberos etiam honestos solum præscit, non autem prædestinat*.

2. Secundò si Deus prædefiniret nostros actus liberos, eo ipso tales actus non essent nobis liberi; ergo &c.

3. Respondeo. quod idem est quærere, utrum Deus prædestinat, seu præfinit actus liberos, & honestos creaturarum, ac quærere, utrum Deus ab æterno efficaciter statuerit, ac decreverit, ut creaturæ faciant actus liberos, & honestos, e. g. utrum Deus ab æterno non solum præsciverit. Sanctum Paulum conuertendum, sed etiam decreverit efficaciter, ut conuerteretur.

4. Aliqui, quos tacito nomine refert Vasquez 1. p. disp. 99. cap. 5. n. 32. dixerunt Deum ab æterno non efficaciter decrevisse actus liberos creaturarum determinatè, & in singularem, sed solum indeterminatè, vagè, & in genere; e. g. Deus non decrevit determinatè, ut Sanctus Paulus converteretur, sed solum decrevit, ut vocatus faceret quod veller, paratus concurrere ad actum, ad quem Sanctus Paulus

ius